

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (3^{te} disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO VIII.
 EX SECUNDA PARTE EXAMINIS CONCILII
 TRIDENTINI à CLARISSIMO
 VIRO DN. D. MARTINO CHEMNITIO conscripti deprompta :

II, capitibus constans.

I. Μεταδοτικὸν Pontificiæ Transubstantiationis μολυκειον ἐξηγητικῶς καὶ ἐλεγκτικῶς pertractat.

II. Cultus ac venerationis sanctissimo cenæ sacramento adhibenda ψευδογραφήματα καὶ σφάλματα recenset ac refutat :

Cujus positiones

SUB PRÆSIDIO

SALOMONIS GESNERI
 S.S. THEOLOGICÆ DOCTORIS ET PROFES-
 soris publici in celeberrimâ Academiâ Witeber-
 gensi in Collegio disputationum Theologicarum
 privato defendendas, assistente gratiâ divinâ, ad
 diem 13. Iulij Anno 1603, in Templo Arcis
 Electoralis. proponit

HERMANNVS SAMSONIVS
 Rigâ-Livonus.

WITEBERGÆ, Typis Meisnerianis.





CLARISSIMO, EXCEL-
LENTISSIMO, ET DOCTRI-
nâ ac rerum usu præstantissimo

VIRO

Dn. IACOBO GODEMANNO
*I.V.D. & Reipub: Rigensis Syndico fidelissimo
ac vigilantissimo*

NEC NON

*Consultissimis, prudentissimis, & omnium vir-
tutum dotibus eminentissimis viris, ac ibidem Senatoribus
spectatissimis & dignissimis*

Dn. RODIGERO HORST.

Dn. PETRO RASSE

Dn. FRANCISCO SCHRADERO.

*Dominis & Mæcenatibus suis omni observantia cultus
prosequendis.*

In subjectionis Symbolum & publicam amoris
testificationem.

Hanc suam διασάφισιν καὶ διάσκεψιν θεολογικῆν

dedicat atq; inscribit
Respondens.

CAPVT PRIMVM.
DE TRANSVBSTANTIATIONE.

THESIS I.



Egimus haectenus littus circa materiam de Sa-
cramento cana: hoc est, leuiore errores Lojo-
litarum proposuimus, quales sunt de ratione
institutionis huius sacramenti: de excellentiã
& dignitate eiusdem. Nunc Deo Opt: Max:
adminiculante prouehimur in altum, crassif-
sima nimirum Pontificia Ecclesia Ἐδελύματα ἢ τὰ ἔξιμωρῶν ἐπι-
ταγῶν Examinis nostri exhibituri.

II.

Quia vero inter ea primatum sibi vendicat Transubstan-
tiatione, atq; pro articulo fidei sub panã anathematis ex pelvi sci-
licet nobis obtruditur: de eã igitur hac συζητήσει agemus, ta-
lem seruaturo methodum, quã in primã materia huius de
Transubstantiatione parte nudam Papistarum sententiam siue
Ἰδοίον tum ex priscis tum ex Neotericis Esauitis recitare, no-
stramq; ἀγοίον seu ἀντίπαλον subnectere possimus. In alterã vero
parte argumenta eorundem, nostramq; refutationem connecta-
mus.

Caput. I.
bimembre.

III.

Transubstantiatio igitur μετασεία ἢ μετασείωσις est iuxta
Concil: Trident: mirabilis illa & singularis conuersio totius
substantia panis in corpus & totius substantia vini in sangui-
nem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.

Membrum
I.

IV.

Pro hoc vero μορμολυκείω & veri sacramenti abortu so-
cietas Lojolana ideo tam masculè contendit: ut sacrificium Mis-
se, asservatio, circumgestatio, adoratio panis, & quæ his extra
usum diuinitus institutum conjuncta sunt, retineãtur & stabi-
liantur: neue, quod præsertim est, alia substantia, quam Christi



in Eucharistia vel adoretur, vel Deo patri offeratur, utq̄ durabilis sit praesentia corporis Christi in Eucharistia etiam extra usum.

V.
Causa efficiens Transubstantiationis seu Conversionis nullo refragante Pontificio est consecrationis mystica virtus, ut loquitur Catechismus Romanus part. 2. de Sacram. Euch. cap. 4. quast. 22. & 31. Sive ut alij volunt, pronuntiatio quatuor illorum verborum: Hoc est Corpus meum.

VI.

Sic tamen ut transmutatio isthaec non fiat toto eo tempore, quo durat pronuntiatio: sed in ultimo instanti terminativo illius pronuntiationis. Bellarm. tom. 2. contro: generali 3. lib. 3. cap. 24. Et vis consecrationis in virtute totius sententia, qua tunc habet esse completum, cum finitur tota prolatio, consistat. Bellarm. ibid.

VII.

De conversionis huius modo sive qualitate, an formalis an substantialis, an alterius generis ea sit, definire non audeat Petr. Lombard. & tanquam mysterium fidei credi salubriter, investigari non posse censet lib. 4. sent. distinct. 11.

VIII.

Catechismus Romanus modum huius μεταμορφώσεως (rectè enim ita indigetatur, quia nusquam vel in scripturis sanctis vel in orthodoxis patribus revelata extat) explicari non posse & divinae virtuti in solidum adscribendum eum esse autumat. Quast. 34. loco supra citato.

IX.

Iam de pane post consecrationem transubstantiato vertiginosa plane & horrida se offert Theologia apud Doctores Lajolanae gentis. Nos aliquot duntaxat hic recensimus emblemata Βεβαυότητ & ἐνερξ: Remitemus vero lectorem aquisitionum ad eas Theologorum nostrorum disputationes, quibus haec materia ex professo tractata est.

I. Bellar-

X.

I. Bellarminus statuit, quod licet corpus Domini incipiat esse in sacramento in illo ipso instanti: quando nimirum institutionis verba recitantur: panis tamen non desinat esse in illo instanti, nisi negativè, ita ut tum sit quidem primum non esse panis, non autem ultimum esse panis. lib. 3. cap. 24.

XI.

Vnde alterum exurgit Emblemata; Quod licet panis totus quoad substantiam mutetur & transeat in corpus Christi: panis tamen non possit dici annihilatus: quia nimirum actio, per quam panis desinit esse, non terminatur ad nihil, sed ad aliquid, nimirum ad corpus Domini: annihilatio autem est actio, quae terminatur ad nihil, ibid: cap: 19.

XII.

3. Quod panis & vini species post transmutationem istam subsistant sine aliquâ re subjecta, sive ut alij loquuntur, accidentia panis & vini nulli inhæreant sive insint subjecto: sed supra omnem naturæ ordinem ipsa se nullâ aliâ re nixa sustentent. Catech: Rom: quest. 37. loco supra citato.

XIII.

Et hæc quidem Pontificia sententia nudè jam à nobis recitata sunt emblemata verius ῥηλυματα: jam placet, antequam ad argumenta ipsorum descendamus, isthac primum jugulare & in lutum proculcare gladio Spiritus sancti, Orthodoxorumq; Theologorum consensu.

XIV.

Respondemus igitur 1. vocabulum Transsubstantiationis ignotum esse scriptura sacra & pia Antiquitati: primò autem usurpatum in Concilio Lateranensi Anno Domini MCCXV. attestante ipso Pistorio in suo Wegweiser pag: 354. Vbi nos occinimus illud: Qui fingit nova verba, simul nova dogmata gignit.

XV.

Neg; trahi huc debent vocabula illa ὁμοούσιος, ἰσοτέλης, ἰσώσεως

ὑπόστασις, ut facit Bellarm: lib: 3. cap. 23. & Pistorius pag. 355.
 Nam hic obvertimus Pontificijs regulam Nazianzeni: τὰ μὲν
 ἴσκι ἐσι, λέγεται δὲ: τὰ δὲ ὄντα, ἔσκι λέγεται: τὰ δὲ ὄντα ἐσι, ὄντα
 λέγεται: τὰ δὲ ἄμφω καὶ ἐσι καὶ λέγεται.

XVI.

Deinde definitio μεταστοιχείου: & neq; ostendi potest in scriptu-
 ris, neq; in Orthodoxis patribus: neq; eodem modo proponitur
 a Doctoribus Scholasticis, sed reperiuntur de eâ opiniones non
 tantum diversa, verum etiam contraria apud ipsos Pontificios
 scriptores. Quod tam verum est, ut Bellarm: non modo disertè
 fateatur lib. 3. de sacr: Euch. cap. 11, sed etiam contra multos
 acriter disputet.

XVII.

Præterea à plerisq; hodiè Pontificijs Transubstantiatio seu
 Transselementatio vocatur conversio. Iam vero Conversio est
 formæ substantialis in aliam mutatio. Atqui forma panis
 non mutatur in formam corporis Christi, ut ex pane dici possit,
 corpus Christi factum esse, sicut ex aquâ factum est vinum
 Ioan. 2. v. 2: quod agnoscit Bellarm: lib. 3. de sacr: Euchari:
 cap. 12.

XVIII.

Quid quod magnæ hic sunt dissensiones: an panis substan-
 tia redigatur in nihilum? an resolvatur in materiam primam?
 vel quorsum evolet? Imò de vini conversione Cadmea pugna
 est: alij dicunt redigi in nihilum: alij mutari in sanguinem:
 rursus alij converti in vitalem humorem: quas ἀντιλογίας si
 quis colligere tentet, magnam earundem farraginem ex solis
 Lombardi glossogastoribus cumulabit.

XIX.

Pugnat etiam hoc figmentum è diametro cum Scriptura.
 Nam & Evangelistæ & Paulus διαφθέσκον nominant panem in
 ipsa actione sacra cana. Et Apostolus etiam post consecrationem
 sive benedictionem 1. Cor. 11. v. 26. 27. Nemo vero ex illis
 vocat

vocat nudam speciem sive mera accidentia panis. Adde si panis est corpus Christi per transubstantiationem, non potest panis dici $\kappa\omicron\upsilon\upsilon\omega\iota\alpha$ corporis Christi. 1. Cor. 10. v. 16. Præterea illa verba Pauli 1. Cor. 10. v. 17. Quoniam unus Panis &c. non poterunt constanter exponi, neq. rectè deducuntur ex versu priore 16. Quod idem iudicium est de v. 26. 27. 28.

XX.

Imò pugnat cum analogia fidei. Omne enim sacramentum constat verbo & externo Elemento. Iam vero sola accidentia non veniunt nomine Elementi. Et hîc valet illa collatio inter doctrinam de sacrâ cana & mysterium personæ Christi. Sicut hic una persona duæ naturæ sunt, essentis distinctæ, personaliter unitæ: Ita in Eucharistia res duæ sunt, terrena & cælestis, sacramentaliter unitæ. Tolle jam cum Pontificijs substantiam panis & vini, & substitue nuda accidentia: & protinus dicent Marcionitæ & Valentiniiani, Phantasma sive speciem corporis, non verum corpus assumpsisse $\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon\pi$.

XXI.

Et si pedem ad antiquitatem proferamus, reperimus dogma hoc veteri Ecclesiæ Orthodoxæ penitus fuisse ignotum: Ortum nimirum, ut ex circumstantijs quibusdam apparet, demum post Caroli Magni ætatem, qui decessit anno Christi 814. die 28. Janu:

XXII.

Concilium Tridentinum hoc masculè, per solitâ suâ impudentiâ inficiatur: Vt & Bellar: lib. 3. cap. 20. Et Pistorius in suo Wegweiser pag: 354. 355. Et dicti rationem petunt ex serie bene longâ Patrum tum priscorum, tum Pontificum ac Conciliorum recentium. Sed nos hanc rem in argumentorum refutatione paulò fusius expediemus.

XXIII.

Augustinum saltem hoc loco Pontificijs opponimus, qui sic inquit: si Sacramenta earum rerum, quarum Sacramenta sunt, similitu-

similitudinem non haberent, sacramenta non essent. *Vi in Baptismo sicut aqua exterius mundat: Ita Christus lavacro aquae in verbo mundat Ecclesiam. In Eucharistia sicut panis materialis alit, sustentat, confirmat: Ita corpus Christi est alimentum spirituale novi, seu interni hominis. Et sic videmus, quomodo per transubstantiationem pereat analogia signi & rei, quae est in sacramentis.*

XXIV.

Imò si in Eucharistia in eare, quae externa & visibilis est ludificamur, qualis erit fidei confirmatio: tam certo nos invisibili & caelesti modo juxta verbum accipere corpus & sanguinem Christi, quam certo panem & vinum accipimus.

XXV.

Quare ut hic tandem telam abrumpamus, hoc generali Syllogismo membrum hoc concludimus. Omne illud 1. cuius neq. nomen in sacris Scripturis expressum est: 2. neq. ex illis potest concludi. 3. neq. in illis res ipsa seu definitio habetur. 4. sed noviter excogitatum est. 5. & repugnat expresso verbo Dei. 6. & analogia fidei. 7. & evertit naturam rei, de qua agit. 8. & perpetuis conflictatur contradictionibus. 9. & infinita parit absurda. 10. Et principium est horribilium superstitionum: illud, inquam, falsum & ex Ecclesia Dei exterminandum est.

At Pontificia Transubstantiatio est ejusmodi. Ergo κενώμενον, liquet ex praedictis.

XXVI.

Iam progrediemur ad argumenta Pontificiorum: & inter ea, quae in Concilio Tridentino sunt procusa, primum expediemus: addituri tandem nonnulla ex Bellarmino & Pistorio, eaq. ordine confutaturi.

XXVII.

Membrum
Secundum
cap. 1.

Primum igitur argumentum, referente D. Chemnicio, est Andrady summi illius Concilij Trident: hyperassista tale: Apud Deum non est impossibile omne verbum. Ergo credenda est

521.
est Transubstantiatio, etsi natura vires ac modum humanumque
captum longè superet, juxta regulam August: Cum Deus ali-
quid facit, quod nos investigare non possumus, ratio facti est po-
tentiā facientis. Hactenus Andrad. Hoc argumentum desum-
sit Andrad. ex Lombardo lih. 4. Sent. distinct. 11. Et Cate-
chismus Roman. idem proponit part. 2. cap. 4. de Euch.

XXVIII.

Respondemus vero, Iesu vitam παραλογίζεσθαι παρὰ τὸ
πῆ ὤς ἀπὸ ὡς. Fatemur enim in ijs mysterijs, ubi ordinatio &
voluntas Dei militat, à potentiā Dei rectissime depromi contra
hereticos argumenta: non tamen idem licet in ijs rebus & con-
troversijs, ubi de voluntate & ordinatione Dei nullum ver-
bum in scripturis extat.

XXIX.

Exempli gratia: Christus vult vi institutionis & ordina-
tionis suae nobis cum pane exhibere manducandum corpus suum
& cum vino bibendum sanguinem suum. Iam quod hoc possit
præstare, rectissime à potentiā ipsius syllogizatur. Caterum cum
nullibi extet, quod Christus velit, ut panis transubstantietur in
corpus suum, vinum transmutetur substantialiter in sangui-
nem suum, frustra omnino à potentiā ipsius absolutā argumen-
tatio instituitur.

XXX.

Potest Deus, inquit Tertullianus, hominem volatilem fa-
cere, sed non quia potest ideo & facit. Ergo voluntas Dei ex
verbo ipsius est discenda, juxta πολυδξιματων Theologia effa-
tum: Omnia quaecumque voluit fecit Psalm. 115. v. 3. Non ve-
ro omnia, quaecumque potest, facit Deus.

XXXI.

Alterum ipsorum argumentum ἀπὸ τῶν ὄντων tale est. Vel-
garis panis & commune genimen vitis fuit, quod Christus acce-
pit, quando cenam suam voluit instituire. Sed post benedictio-
nem de pane & vino illo pronunciat: Hoc est corpus meum; Hic
est

B

est

57.
est sanguis meus. Quae de vulgari pane neq; vino neq; dici neq;
credi possunt. Ergo panis & vini Transubstantiatio facta est.

XXXII.

Bellarminus hoc argumentum paulo aliter proponit: Chri-
stus inquit ad discipulos dixit: Accipite, comedite: Hoc est
corpus meum. Atqui vero vel secundum mutationem veram
vel metaphoricam seu figuratam panis erit corpus Christi. Po-
sterius autem hoc ipsum Lutheranorum confessione falsum &
erroneum. Stabit igitur ratum illud prius lib. 3. cap. 19.

XXXIII.

Respondemus. Iesu vitam παραλογίζεσθαι in antecedente
παρα τοῦ ἰδίου περὶ τῆς διαφύσεως. Non enim est hic sufficiens enu-
meratio modorum, quibus cum pane consecrato corpus suum
manducandum Christus nobis exhibere potest. Neq; enim se-
quitur: Panis non est corpus Christi per mutationem figuratam.
Ergo per mutationem veram ac propriam. Relinquitur enim
tertius modus, nempe unio sacramentalis, quae mediante, salvis
ac integris manentibus Symbolis externis ac visibilibus, nihil-
ominus tamen cum eisdem nullo modo mutatis Christus suum
corpus & suum sanguinem verè offert & exhibet.

XXXIV.

Tertium Tridentinorum palmarium atq; Achilleum argu-
mentum hoc est, quod omnes ad unum Pontificij ταῖς ἀμφοῖν am-
plexantur. In propositione affirmativa necesse est, ut subjectum
& predicatum pro eodem supponat, alioqui esset falsa predica-
tio. Corpus vero Domini & panis sunt res diversissima. Ergo de
altera non potest predicari altera, nisi interueniente mutatione.

XXXV.

Respondemus licet dialectico huic & philosophico argu-
mento opponere possimus illud: Mulier taceat in ecclesia: At-
tamen ut ex eadem pharetra depromamus tela, ideo dicimus,
committi hic παραλογισμὸς τῆς ὁμωνυμίας in termino unius
seu eiusdem. Nam unum varie dicitur, vel genere, vel specie,
vel

523.
vel numero. Et unum numero seu Individuo est simplex vel compositum. 1. Top. 6. 4. Metap. 6. & 9. Vnde certum quidem est, quod subjectum & predicatum pro eodem supponant, hoc est sint ejusdem aut generis aut speciei, aut individui: sed non unius ejusdemque simplicis, verum compositi & unius individui. De qua re videatur cap. 15. libri de Interpretat: nec non caput περὶ τῶν λεγομένων. Atque ita in sacrâ canâ panis & corpus Christi non sunt unum simplex suppositum, sed sunt unum ἡνωμένων unione sacramentali. Cumque ita unita sint, nihil obstat, quo minus corpus Christi de pane dicatur, sicut in alijs unionis modis: ut in unione personali Christi, & in compositione rerum naturalium fieri solet.

XXXVI.

4. Tridentinorum argutia, quâ probare satagunt Transsubstantialis huius μεταμορφώσεως signum, hæc est: sed ut audiemus, merus est ex arenâ funiculus. Sacra Eucharistia etiam post consecrationem illam & conversionem dicitur panis, non quod sit ac maneat panis, sed partim propter modum ac externam speciem panis, quæ remanet: partim vero quia denominatio fit à termino à quo: haud secus ac cum virga Aaronis serpentes Magorum in Ægypto devorasse dicitur, cum non ipsa, sed serpens ex eâ factus hoc fecerit: vel cum homo dicitur terra, eò quod corpus ipsius ex eâ fuit efformatum: vel ut de aquâ, quæ in vinum conversa erat, dicit Evangelista: Cum gustasset aquam vinum factam &c.

XXXVII.

Respondemus meram hic cumulari σοφισμάτων συμπλοκήν. 1. enim sciant Lojolita, se αἰτῆ δαιτήρ ἀρχήν. Hoc ipsum enim est, de quo controversatur: an Apostolus Eucharistiam post consecrationem nominet panem, duntaxat propter nudam speciem aut accidentia panis: aut etiam respectu termini à quo commentitia illa Transsubstantiatio incipit. Virumque enim ab Orthodoxis negatur.

B 2

Deinde

XXXVIII.

Deinde committitur hic ἀγνοία ἐλέγχῳ & disparatorum confusio. In allegatis enim exemplis scriptura rursus disertè meminit rerum istarum conversionem: qualem dum de Symbolis S. Cena comprobare non possunt Pontificij, quid aliud faciunt & quam quod disparata confundant.

XXXIX.

Atq; hætenus quidem de argumentis ex scripturâ detortis: sequuntur jam testimonia Patrum, quibus Pontificuli ἐπεροδοξίαρ nobis incantare & ὁρθοδοξίαρ excantare nituntur: sed bene habet: nos scripturarum illud μῶλυ contra expedimus, eorumq; incantamenta facile sustinebimus.

XL.

1. Igitur si quando allegant Lojolista Patrum dicta, in quibus termini mutationis, conversionis, & transitionis usurpantur: sciendum est, eos his terminis ideo usos, ut tantò evidentius contra hæreticos præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Canâ negantes veritatem huius mysterij adstruerent.

XLI.

2. Iisdem terminis sive phrasibus non Pontificiam μεταστοιχείαν, sed eam mutationem intellexerunt, quâ panis terrenus vocationem Dei percipiens, non jam communis panis est, sed Eucharistia, duabus rebus constans, caelesti & terrenâ, ut habet Ireneas lib. 4. contra Valent: cap. 34.

XLII.

Et huc valet illud, quod Patres in mysterio hoc explicando similitudine de unionem hypostaticâ duarum naturarum in Christo frequenter vsi sunt.

XLIII.

4. Multi & cum primis præstantes atq; veteres patres nobiscum senserunt: neq; hic moramur recentiores, quorum ætate magna jam doctrinæ inclinatio fieri cæperat: quales sunt, Damascenus, Theophylactus Richardus, Hugo, Longobardus, & similes.

Non.

XLIV.

Non enim liquidò probari potest, quod Florentini concilij temporibus ante annos centum & amplius universalis Ecclesia omnium gentium & populorum consensu approbatum & receptum fuerit dogma de *περσικῶσιν*. In ultima enim sessione inter articulos, in quibus Græca Ecclesia à Romanâ dissentiebat, 4. loco ponitur de divina transmutatione in Eucharistiâ. Et cum conficienda essent litera unionis disertè & expressè exceptus fuit, etiam concedente Romano Pontifice, articulus ille de divinâ transmutatione panis in Eucharistiâ, quam Latini tunc docebant.

XLV.

Ergo falsa est gloriatio Lojolistarum de universali consensu Ecclesia omnium ætatum, omnium gentium & populorum, quod ad dogma de Transsubstantiatione attinet. Nam & ante 100. annos, sicut hæc historia indicat, nondum subjecti fuerunt anathemati, qui hoc dogma non approbarunt.

XLVI.

5. Imò omnibus Concilijs, omnibus Pontificibus Gelasium Pontificem, qui circa annum Christi 500. vixit, opponimus, qui sic ait in libro de duabus naturis Christi contra Eutychem & Nestorium: Panis & vinum in divinam transit, sancto spiritu perficiente, substantiam corporis scilicet & sanguinis Christi. Audiat vero, quemodo Gelasius hoc explicet: Ita transeunt in substantiam corporis & sanguinis Christi, ut tamen substantia & natura panis & vini non desinat. Idq; simili exemplo unionis personalis explicat.

XLVII.

Tam clarum hoc est Romani Pontificis contra Pontificiam Transsubstantiationem testimonium, ut Caspar Contarenus Cardinalis, qui à Pontifice ad Colloq. Ratisbonense anno 1541. legatus fuerat missus, obstupuerit, cum è nostris audivisset. I nunc Pontifici & de perpetua tuo gloriare consensu.

B. 3.

VI

XLVIII.

Ut vero has gloriationes Pontificij consensus circa hunc articulum vanissimas esse ad oculum demonstremus: placet hic quaedam παραφραδικῶς ex Bellarmino delibare. Is igitur in controversia de sacra scriptura sic inquit lib. 4. cap. 9, quod desumpsit ex Cano. lib. 3. cap. 4. referente D. V. Vittakero in refutatione contra Bellarm:

XLIX.

Omnia, inquit, quae Ecclesia tenet, ut fidei dogmata, tradita sunt ab Apostolis vel prophetis, aut scripto aut verbo: nec regi jam Ecclesiam revelationibus, sed permanere in illis, quae ab Apostolis accepit. Quod si verum sit, tum Ecclesia non potest jam tradere aliquid, ut dogma fidei, nisi quod antea semper ab ipsis Apostolorum temporibus, ut fidei dogma susceptum servatumque fuerit.

L.

Iam vero hoc dogma Transsubstantiationis neque in scripturis sanctis neque in Orthodoxis patribus, neque tempore Concilij Florentini, neque Gelasij aetate servatum fuit, ut antea ἀπαρξῶς probatum. Itaque aut haec Bellarmini regula falsa est, aut hoc certe fidei dogma pro necessario haberi neque potest neque debet: quod posterius verissimum.

LI.

Quid quod Scotus Cameracensis & Durandus nolunt improbari aut damnari illam sententiam, quod, remanente substantia panis, verè & substantialiter adsit in cana corpus Christi.

LII.

Ergo si volunt moderni Pontificuli è Tarpeia sua rupe Anathematum bombos in omnes illas Ecclesias vibrare & projicere, quae huic figmento adversantur & obloquuntur: damnent etiam ipsam sanctam scripturam, omnes Orthodoxos patres, Concilium Florentinum, Gelasium Papam, Scotum Cameracensem & Durandum contribules suos.

Et

LIII.

Et ut Lojollistas tandem dimittamus, hoc ijs inculcamus Stentoreâ voce: Si ulla in re, tum potissimum in re sacramentali fides nostra debet superadificari super fundamentum Apostolorum & prophetarum & ipso summo angulari lapide Iesu Christo. Ephes. 2. v. 20.

LIV.

Regula enim fidei est solum Dei verbum: cui si consentiant Conciliorum & patrum decreta approbanda: sin secus repudianda sunt. Non ergo hoc probandi genus primum est, sed secundarium tantum: neq; per se valet, sed propter consensum scripturae.

LV.

Lectorem vero ad Rever: Praesidis nostri disputat: 10. pro libro Concordix & ipsum examen inspiciendum ablegamus. Atq; haecenus de Transubstantiatione: sequitur.

CAPVT SECVNDVM.

DE CVLTV ET VENERATIONE HVIC sanctissimo Sacramento adhibenda.

I.

Diximus in superiori capite, quare Pontificij tam masculè pro Transubstantiationis sigmento, tanquam pro aris & focus dimicent, ut nimirum inter alia multa ἁδελύγματα etiam ἀστοδατσίαι stabilire possint.

II.

Vnde cuiusvis perspicuum est, quomodo uno dato absurdo plura subsequantur: & quomodo vnus perniciosus error multos alios agminatim secum trahat.

III.

Idcoq; ut μεθόδως καὶ ἐτάκτως ad rem perveniamus, Pontificiam διάνοιαν prae mittemus: nostram deinde ἄνοιαν καὶ ὁρθόδοξιαν subiuncturi: Et hoc quidem tam ex Concilio Tridentino, quam Bellarm. & Pistorio, ut antè, prestabimus.

Prodeat



IV.

Prodeat igitur pseudolyicum illud conciliabulum Tridentinum, atq; blasphemus suo boatu & reboatu alijs semet prodat. Nullus inquit dubitandi locus relinquitur, cum omnes Christi fideles pro more in Catholica, verius pseudolyca, Ecclesia semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur huic sanctissimo sacramento in veneratione adhibeant. Neq; enim minus est adorandum, quod fuerit à Domino, ut sumatur, institutum. Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt: quem deniq; in Galilea ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur. Hactenus Concil. Trident.

V.

Hanc sententiam ad unum omnes Pontificij defensant Bellar. lib. 4. cap. 29. tom. 2. contro. general. 3. Pistorius in suo Wegweiser pag. 376, 377. Et attestatur hoc quotidiana praxis in Pontificijs Ecclesijs.

VI.

Bellarminus suam sententiam de Eucharistia adoratione ita proponit, lib. 4. de sacram. Eucharistia cap. 29. Ipsa Symbola externa per se & propriè non esse adoranda cultu latriæ, sed solum veneranda cultu quodam minore, qui omnibus sacramentis convenit.

VII.

Et paulo post: De modo loquendi, inquit, fatemur Sacramentum ipsum dici adorandum, ut Concil. Trident. loquitur: sed hoc exponitur dupliciter: Qui enim sentiunt sacramentum Eucharistia formaliter esse corpus Christi, ut est sub illis speciebus, concedunt etiam sacramentum formaliter dici adorandum. Qui autem docent sacramentum Eucharistia formaliter esse species panis, & vini, ut Christum continent, illi docent, consequenter sacramentum Eucharistia materialiter esse adorandum. Hac Bellarminus, qui eodem loco etiam asserit, ad Symbola
panis

panis & vini pertinere cultum latriæ, quatenus apprehenduntur ut quid unum cum ipso Christo, quem continent.

VIII.

Hactenus proposuimus erroneam Pontificiorum sententiam, ex qua colligimus: 1. Ipsam sacramentum adorari. 2. Symbola adorari dupliciter, per se inferiore cultu, & per accidens ipsa latriâ.

IX.

Respondemus vero Papiculis, fediorem abominationem & gravius sacrilegium vix à suo infernalis aula Clusio & Patulcio excogitari potuisse. Solus enim Deus, non hostia, non panis adorandus. Nam licet Panis cum corpore Christi sacramentalis intercedit unio: non tamen panis mutatur in corpus Christi, sed in ipso usu est & manet panis, ut antea probatum. Proinde etiam non ad panem ullo modo sive in usu, sive extra illum, sive per se inferiore cultu, sive per accidens ipsâ latriâ: sed unice ad Christum adoratio est dirigenda.

X.

Itaq; per Βίαιον seu ἄν τε γκλιμα ita retorquemus Bellarmini verba. Nulla creatura est adoranda. Quædam pars sacramenti, nempe res terrena, panis & vinum est creatura. Ergo quædam pars sacramenti, utpote panis, non est adorandus.

XI.

Neq; enim ita est adorandum sacramentum Eucharistia, sicut in personâ Christi propter hypostaticam unionem unâ adoratione humanitatem & divinitatem colimus & veneramur: non enim personalis est unio panis & corporis Christi in cenâ: Ideoq; adoratio, ut diximus, non ad Elementa externa, sed ad Christum Deum & hominem, qui in illa actione præsentiam suam peculiari modo gratiæ instituit & promisit: sicut Israelitæ non lignum, non aurum, non Cherubin arcæ fæderis: sed Deum, ipsum tantum, qui præsentiam suam ibi promiserat, adorabant.

XII.

Proinde falsissima hypothesis Pontificia: Vbi Christus sive
C Deus

Deus ibi adorandus. At est in pane. Ergo ibi adorandus. Elido
argumentum hoc tali ἔσθ' ὁ Θεός. Christus est in creaturis: est in pijs:
Ergo creatura, ergo pijs sunt adorandi. ἄσεβες.

XIII.

Neg. valet hic exceptio: longe aliter esse Christum in Eu-
charistia, quā in alijs rebus. 1. enim falsum, Christum in Eucha-
ristia esse presentem per μετ' ὁμοιωσιν panis in corpus Christi. 2.
Modi diversi ac distincti (excepto solo illo modo presentia τῶ
λόγῳ personalis) non faciunt, ut in unā creaturā Deus sit ado-
randus, in altera non item. 3. presentia sacramentalis nullibi
in scripturis religiosam adorationem Christi in Symbolis innuit.

XIV.

At objiciunt: Scriptura ait, Magos adorasse Christum in
praesepe. Ergo & nos recte adoramus Christum in pane.

XV.

Respondeo Papicolas committere fallaciam ὁμωνυμίας in
vocula IN. Si enim praepositio IN non intelligatur vel de in-
clusionione: vel de tali aliqua conjunctione creaturarum cum cor-
pore Christi, qua utrumq. simul adorandum statuatur: tum in
sano sensu admitti posse, ut dicatur Deus in creaturis & sic in
pane adorandus: sicut adoratur Deus in caelo, in templo, in pro-
pitiatorio, licet hac ipsa phrasis ὑποτύπωσι πτωρ ὑγιουόντων λό-
γων in re quavis & maxime cum de pane sacramentali sermo
est, non sapiat.

XVI.

Sic Magi adorarunt Christum in praesepe, sed non cum praesepe:
Sic Deus laudatur in sanctis, sed non cum sanctis: Sic adora-
ri potest Christus pani presentissimus, sed non cum pane ado-
randus: quippe quod blasphemiam ἀπολογία inferret.

XVII.

Quid quod Papicole adhuc longè turpius se hic dant, dum
nimirum non curant, ut in actione cana Christus Deus & homo
in spiritu & veritate adoretur: sed sicut Canon V I. Concil.
Trid.

Trid disertè ostendit, laborant instituerè adorationem panis extra usum, seu extra illà actionem, quam Christus ordinavit.

XVIII.

Respondemus verò illis πολυθεῖταις istis Theologia ἀξιωμασι: 2. Extra usum sive actionem nihil habet rationem Sacramenti. 2. Sacra Domini Cæna est actio una, continua, divinitus instituta, Ideoq; sic argumentamur contra Papicolas. Integrum Christi verbum facit sacramentum. Sublata manducatione & bibitione non manet integrum Christi verbum. Ergo non est Sacramentum. Et per sequelam, Papistæ sunt idololatæ.

XIX.

2. Nostrum argumentum tale est: Sine fide nemo potest rectè adorare. Fides autem non est sine verbo. At Papistæ non habent literulam de pane Eucharistia reposito & circumgestatione. Ergo sunt ἀστολάται, ἰδολολάται, non χρισολάται.

XX.

Præterea Papistæ de externo potissimum Eucharistia cultu, ut est splendida repositio, sumptuosa circumgestatio, genu flexionibus, elevationibus manuum & sunt solliciti: & huic cultui magna adscribunt merita sine penitentia & fide. Sed scriptura hos externos cultus ab hominibus institutos διαβήδης rejicit Esa. 29. v. 13. Matth. 17. v. 8. Colos. 2. v. 22. Veri vero adoratores adorant Christum in Spiritu & veritate Iuan. 4. v. 23.

XXI.

Consistit autem hæc vera interior & spiritualis adoratio in his tribus: 1. Ut rectè sentiamus de substantia & de usu huius Sacramenti: 2. Ut grato corde & ore celebremus immensa illa beneficia Christi in nos collata. 3. Ut invocemus Christum, ut sit noster intercessor, & mediator propter ipsius mortem: utq; ipsius merita inter nostra peccata & iram patris interponamus.

XXII.

Quando vero hæc spiritualis devotio in corde excitata est,

1. 4. 1. 2.

tunc externe significationes in reverentia huius sacramenti spontè sequentur: quæ tamen tantum testimonia fidei interioris de Eucharistia iuxta verbum esse debent, & illi fidei respondere.

XXIII.

Hæc cum Pontificij omnia omittant, & externos tantum cultus principaliter spectent, liquido patet eos esse falsos adoratores, eos male tractare corpus Christi, eos reos esse corporis & sanguinis Christi & proinde iudicium sibi manducare, 1. Cor. 11. v. 27.

XXIIII.

Nos vero corda nostra sursum levemus, & Christum Deum & hominem iuxta verbum suum rectè invocemus atq; de Sacramento Eucharistia iuxta Sanctam Scripturam rectè sentiamus. Sic fiet, ut hoc sacrum convivium nobis futurum sit φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τῷ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ ἰησοῦ χριστοῦ καθεστῆσθαι ἡ ἀλεξίκακον. Ignat: in Epist. ad Ephes.

F I N I S.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405





17470c

Retro

VD17







513
26



IO VIII.
IDA PAR=
S CONCILII
CLARISSIMO
TINO CHEMNI-
deprompta :

onstans.
Transubstantiationis μορ-
γικῶς pertractat.
νεῖσιμο cænæ sacramento
καὶ σφάλματα recenset

itiones
SIDIO
GESNERI
TORIS ET PROFES-
soria Academiâ Witeber-
onum Theologicarum
ente gratiâ divinâ, ad
3, in Templo Arcis
proponit

SAMSONIVS
onus.
pis Meisnerianis.

